

## DE LEGIBUS ET CONSTITUTIONIBUS PRINCIPUM ET EDICTIS.

### 1.14.1

*Imp. Constantinus A. Septimio Basso pu.*

Inter aequitatem iusque interpositam interpretationem nobis solis et oportet et licet inspiciere.

*D. III non. Dec. Sabino et Rufino cons.*

[a. 316]

### 1.14.2

*Imp. Theodosius et Valentinianus AA. ad senatum*

Quae ex relationibus vel suggestionibus iudicantium per consultationem in commune florentissimorum sacri nostri palatii procerum auditorium introducto negotio statuimus vel quibuslibet corporibus aut legatis aut provinciae vel civitati vel curiae donavimus, nec generalia iura sint, sed leges flant his dumtaxat negotiis atque personis, pro quibus fuerint promulgata, nec ab aliquo retractentur: notam infamiae subituro eo, qui vel astute ea interpretari voluerit vel impetrato impugnare rescripto, nec habituro fructum per subreptionem elicitum: et iudices, si dissimulaverint vel ulterius litigantem audierint vel aliquid allegandum admiserint vel sub quodam ambiguitatis colore ad nos rettulerint, triginta librarum auri condemnatione plectendi sunt.

*D. VIII id. Nov. Ravennae Theodosio XII et Valentiniano II AA. cons. [a. 426]*

### 1.14.3

*Idem AA. ad senatum.*

Leges ut generales ab omnibus aequabiliter in posterum observentur, quae vel missa ad venerabilem coetum oratione conduntur vel inserto edicti vocabulo nuncupantur, sive eas nobis spontaneus motus ingesserit sive precatio vel relatio vel lis mota legis occasionem postulaverit. nam satis est edicti eas nuncupatione censerentur vel per omnes populos iudicium programme divulgari vel expressius contineri, quod principes censuerunt ea, quae in certis negotiis statuta sunt similium quoque causarum fata componere.

¶ Sed et si generalis lex vocata est vel ad omnes iussa est pertinere, vim obtineat edicti; interlocutionibus, quas in uno negotio iudicantes protulimus vel postea proferemus, non in commune praedecis, nec his, quae specialiter quibusdam concessa sunt civitatibus vel provinciis vel corporibus, ad generalitatis observantiam pertinentibus.

*D. VIII id. Nov. Ravennae Theodosio XII et Valentiniano II AA. cons. [a. 426]*